



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Lib. 5.*





EPITHALAMION  
IN HONOREM NV-  
PTIARVM VIRI PIETATE TE

VIRTUTE PRÆSTANTISSIMI AMBROSII  
Zanachij Vitebergensis, & Euxæ Tscherans  
uirginis pudicissimæ,

AVTORE  
SALOMONE ALBERTO  
Noribergensi.



VVITEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.  
ANNO M. D. LXII.

Faint, illegible text on aged, yellowed paper, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



# E P I T H A L A M I O N.

**P**Ræuius auroræ tenebris & nocte fugata,  
 Promit ab Eois Lucifer ora uadis:  
 Ergo age dum thalami socialia sacra parantur,  
 Carpe uias celeri Musa uocata pede:  
 Vade metu posito, non sit uia longa timori:  
 Forfan erit cœptis aura secunda tuis.  
 Ponè comes sequitur uolucer cum matre puellus,  
 Nosce pharetratum per sua signa Deum.  
 Est locus ad Boream syluis datus undiq; circum,  
 Millia qui nostra distat ab urbe decem,  
 Vandalicæ sedes gentis: uelocibus undis  
 Hîc ubi Lusatico Spreuus oberrat agro:  
 Indigenas hanc fama refert habitasse Sueuos,  
 Incola nunc Lubbin nomine turba uocat.  
 Terra ferax rerum est uitæ quibus indiget usus,  
 Nec benè prouentus sustinet illa suos.  
 Nam quoties ( manifesta fides ) renouatur aratris,  
 Munera de pleno fundit aperta sinu.  
 Et nisi fortunam cultus languore morentur  
 Agricolaë, sequitur uota benigna Ceres.  
 Quid memorem syluas, saltus uenatibus aptos,  
 Culta quid innumeris deuiâ lustra feris?  
 Nil opus est iaculo cursuq; laceffere ceruum,  
 In positas nullo currit agente plagas.  
 Muneribus Silene tuis sunt omnia plena:  
 Poscit & ingentes fertilis uua lacus,

Sed quòd Pegasidum consortia sacra tuetur,  
Nomine ab hoc uno tollit in astra caput.  
Hæc adeo exulibus sunt improba tēpora Musis:  
Si qua uenit doctis, gratia rara uenit.  
Inde sibi uentura parit per secula famam,  
Donec ad huc aliquas Phocis habebit aquas.  
Huc properes: hîc sole suas fugiente sub undas,  
Ambrosius peraget debita iura tori,  
Vir grauitatis amans uitales missus in auras,  
Albis ubi tacitis littora pulsat aquis.  
Dum sacros coleret Campos, hunc Phœbus a-  
Iussit et Aonios inter adesse choros. (mauit,  
Ingenij dotes quædam est memorare uoluptas,  
Quas tribuit larga casta Minerua manu,  
Scilicet eloquij cultus grauitate politos,  
Quòdç sub egregio pectore robur habet.  
Hoc dubio ridet fortunæ stantis in orbe  
Numina, ceu uisu quæ ratione carent.  
Nil trepidare minas Diuæ cæcosç tumultus,  
In minimum uirtus non cadit illa uirum.  
Candor inest animis nostro rarissimus æuo:  
Vir nihil hoc uno munere maius habet.  
Addidit his acres stimulos diuina Philippi  
Cura, nec est turpi passa perire situ:  
Ingenium pueri placida molliuit ab arte:  
Imperium feritas arte tenente fugit.  
Hic ubi se flammis sensit grauioribus uri,  
Ferre nec Idaliij uulnera posse DEI,

Vix



Vix se sustinuit, uix claufas pectora flammās,  
 Iura quod ergo iubent improbus urget a  
 Numinis impulsu uetitos ignesq̄ perofus (mor.  
 Mox sibi consortem fecit adesse tori.  
 Quāq̄ amet inuenit, cum qua sua gaudia iungat:  
 Gratia si qua tori est foemina masq̄ ferunt.  
 Phoebe mihi Sponsæ per laudes ire paranti  
 Annue, quo cultu diuite uena fluat.  
 Dotibus hæc formæ ueteres heroïdas æquat,  
 Euaq̄ cum magno nomen honore tenet.  
 Qualis erat cygno generata Lacæna, carinis  
 Quā tulit ad Phrygios turpis adulter agros:  
 Talis & Eua suis Helenæq̄ simillima donis,  
 Dummodo semoueas crimina mentis, erit.  
 Non aliquo mentis næuo uiciata figura est,  
 Recta sed indicium uultus amantis habet.  
 Fortè Paris mallet, si cerneret ora puellæ,  
 Quàm dederat raptæ sollicitare fidem.  
 Aspicias faciem, facies exorat amorem,  
 Turgidulæq̄ genæ, fulgidulæq̄ comæ.  
 Viderat hanc nuper, quem iam facit illa maritū,  
 Dispositas mira fingere ab arte comas:  
 Vidit, & internas flamma pascente medullas  
 Arsit, ut inducto sulphure tæda solet.  
 Forma placet, leuesq̄ genæ, teretesq̄ lacerti,  
 Quiq̄ subest niueo castus in ore pudor.  
 Sunt pulli crines, color hic est dignus amore,  
 Plurimus egregio corpore cultus adest.

A 3      Vulnera

Vulnera sentit amans, oculos dum pascit inani  
Virginis obtutu: Vulnera sentit amans,  
Mœstus abit, loca sola petit tacitosq; recessus,  
Nec tamen à memori corde recedit amor.  
Hæret in absentis defixus imagine uultus,  
Gestibus occurrit uisa puella suis,  
Sic indigestos collegit ab arte capillos,  
Sic stetit ad speculum curaq; stantis erat.  
Has habuit uestes, colli fuit illa uenustas  
Hæc facies, niuæ sic rubuere genæ.  
Hæc quoties meminit, (quis tollere possit amo-  
Ignis inardescit, qui modò nullus erat. rē?)  
Quid faciat? tentet præcibus lenire puellam?  
At sedet in timido, qui uetet, ore pudor.  
Heu malè conceptas capiunt præcordia flammæ,  
Dissimulet uultu? dissimulare nequit.  
Inuitum nouus ardor agit: (uix credere possis) **B**  
Si pudor huc, aliò pectora raptat amor.  
Victus amore pudor non longa silentia fecit,  
Impatiensq; moræ, tu mea, dixit, eris.  
Quicquid eris, mea sèper eris, mea sola manebis:  
Dij faciant nostras pondus habere preces.  
Si pudor est, ueniam da falso crimina: uincis  
Obsequio: facili uirgine gaudet amor.  
Dixerat: illa suos in humum deiecit ocellos,  
Edidit & nutu signa fatentis idem.  
Oscula coniugij pignus noua nupta rogauit,  
Quæ dedit hic promptè, promptior illa tulit.  
Cedite

Cedite, quas uidit madidis in uallibus Idæ  
Priamides positis uestibus ire, Deæ.  
Pace loquor Veneris: uestræ collata figuræ  
Eua uel iniusto iudice maior erit.  
Per se forma placet uani non indiga fuci,  
Quamuis inculto uenerit ore, placet.  
Quale coloratis sublucet Cynthia bigis:  
Talia de uultu signa ruboris eunt.  
Forma sed exiguos, dicas, durabit in annos:  
Hæc sua quo formæ damna rependat habet.  
Excutias mores, mores sine labe probabis,  
Laudibus ingenij non latet illa suis.  
Est comis, facilis, simplex & nescia fraudis,  
Ipsa tamen pietas ordine maior inest.  
Hæc studio uerbi flagrat, monumentaq; uoluit  
Abdita, quæ nostræ dona salutis habent.  
Noticiamq; Dei suxit cum lacte, tenellum  
Matris ab uberibus quando pependit onus.  
Multus in ore lepor, quoties sua labra resoluit,  
Plena uerecundo uerba pudore fluunt.  
Fastus abest, decor omnis adest, si cuncta notabis,  
Inq; oculis Charitum de tribus una sedet.  
Ingenij si non alijs est dotibus aucta,  
Sufficit hanc segetem cui sua gignit humus.  
Ast ego dum conor dignis extendere uerbis  
Omnia, ueloci præterit hora pede.  
Huc uenies medium cum sol peragrauerit axem,  
Iamq; sub Hesperias ibit anhelus aquas.  
Ergo

Ergo forum, iubeo, nec sit mora longa, petatur,  
Quâ patet ad sacram maxima porta domū.  
Confluet huc ætas omnis iuuenumq; senumq;  
Vandalicæ matres, Vandalicæq; nurus.  
Signa sub aërijs dederint ubi turribus æra,  
Vncaq; pro solito tibia more sonos:  
Vandalicæ cernes proceres succedere templo,  
Quos inter Felix ordine primus erit,  
Vir bonus & sapiens, quo non moderatius alter  
Lusatij gestat tradita sceptrâ soli.  
Natura facilis, non asper, & æquus in omnes,  
Cum dat iura suæ commoda plebis amat.  
Non tibi quæ niteant collo gestamina dicam,  
Protinus ex ipsa cernere ueste licet.  
Ibit Agenoreo pectus circumdatus ostro.  
Regibus hæc quondã congrua uestis erat.  
Cinget Erythraeo digitos ex orbe lapillus,  
Quæq; Cytheriaca concha superbit aqua.  
Omnis in hunc oculos figet circumflua pubes,  
Oreque lætitiæ signa fremente dabit.  
Pierium scandisse iugum, sacrisq; cateruis  
Dicitur hic auidas implicuisse manus.  
Confortes inter studiij maiore, nec ullus,  
Vbere qui fructus percipiebat, erat.  
Nam quoties linguam diuinamq; labra resoluit,  
Hoc solitum iures Nestora more loqui.  
Nunc animos addit, nunc uoce resumit eosdem:  
Impetus hic sacra semen ab arce trahit.

Hic

Hic simul ac augusta Deum delubra subibit,  
Succiduo geminum poplite flecte genu:  
Et spectabis humum, potes hanc spectare decenter:  
Gestus hic augurium simplicitatis habet.  
Pauca quidem moneo, sed res te plura docebit,  
Si pecces culpæ sit pudor ille tuæ.  
Non oculis erres lasciuæ uirginis instar,  
Compositis Nympham moribus esse decet.  
Interea sponsus magna stipante caterua  
Delubro propior conspiciendus erit.  
Huic monstrabit iter pietas, & quâ sit eundum  
Præuia syluestri fronde notabit humum.  
Cum uirtute feret pariles constantia gressus,  
Adiunctus lateri cum grege Phœbus erit.  
Hinc quoque nupta tori socio iungenda sub ædem  
Fœmineo ueniet concomitante choro,  
Confortem simul ac aris astare uidebit,  
Purpura per castas ibit oborta genas.  
Veste suum teget uultum: si crimen abesset,  
Palla suæ dominæ uellet obire uices:  
Nata uelut quondam Bathuelis stirpe, futurum  
Cum focium cernit comminus ire tori,  
Terga feræ relinquens faciem uelauit amictu,  
Ostenditque suum uirgo pudore decus.  
Tu quoque templa subi tacite uestigia seruans,  
Succensis adole thura Sabæa focis.  
Scilicet ad sacras sponsus dum sistitur aras,  
Numina succiduo poplite nixa roges.

B Post

Pòst ubi commissis dextris sacrisq; peractis  
Mutuus amborum corda ligarit amor,  
Tunc alijs quæ dona ferent immista cateruis  
Pro Salomone feras talia uerba tuo:  
Auspicibus tædas superis ordire iugales  
Sponse, Caballini candida fama gregis:  
Qui mauis præscripta sequi, dum corda fatigat  
Cypria, quàm uitæ liberioris iter.  
Ergo Deus iunxit sociam tibi labe carentem:  
Numinis hæc dos est, non aliunde uenit.  
Illa quòd est uirgo, Venerisq; nefanda quod odit  
Castra, quis ignorat munus id esse Dei?  
Si tibi namq; suæ iactaret inania formæ  
Dona, pudiciæ dote sed orba foret:  
Non thalamos, mihi crede, tuos accepta subiret:  
Si qua pudica uenit uirgo, sat aucta uenit.  
Ergo Deo meritas tanto pro munere grates,  
Cuius ab auspicio nactus es illud, age.  
Participemq; tori tractes reuerenter: & æstus  
Exemplo Christi sint in amore tibi:  
Hic sibi quam peperit precioso sanguine sponsã  
Diligit: illa suo reddit amore uices.  
In thalami stat plena Dei consorte uoluptas:  
Carius & sponso nil habet illa suo.  
Tantus amor Christo est, nuptam cum callidus  
Captiuam traheret sub sua iura draco, (astu  
Ille sibi nostram sumens de uirgine massam  
Ire sub infernas non dubitauit aquas:

Non

Non habita ratione necis latrone subactō,  
In thalamos sociam uictor ut assereret:  
Sic quoq; sponse tuā Christi sub imagine nuptam  
Dilige: sit gemini corporis unus amor.  
Hinc discedat amor uolucrē quem fabula fingit,  
Non amor hic alas, quas habet ales, habet.  
Vna fides sit, ut una caro, concorsq; Voluntas,  
Et benè coniunctos cana senecta premat.  
Casta maritalis tædæ qui foedera sanxit,  
Viuat ut unanimi foemina uirq; toro:  
Ille tuo aspiret felicia fata cubili,  
Vt peragas multos non sine prole dies.  
Hoc sine non tædæ coeunt ad uota, sed æqua  
Si qua coire uoles foedera, pone Deo.  
Heu faciles animi stimulante libidinis æstu,  
Quos sacra iura tori sollicitare iuuat.  
Nunc obstate Dei monitu petulantibus ausis,  
Quæ uenit à tergo pæna luenda uenit.  
Nam Deus ultor adest: (maiorū exēpla petantur)  
Omen ab euentu est, dāna Gomorrha tulit.  
Troia decennali bello est obsessa, requiras  
Quæ sit causa: Paris raptor, adulter erat.  
Pergama nunc starent et Apollinis alta maneret  
Quæ iacet Argolico diruta Troia rogo.  
Felix coniugij finem qui nouit & usum,  
Ad normamq; Dei, quod facit, omne facit.  
Non illum fors dura premet, non plena dolorum  
Fata, sed à Christi numine tutus erit.

B 2 Cum

Cùm Cererem mandabit humo, Deus imbre ri-  
 Ut capiat culti foenora digna soli. (gabit,  
 Insidias abiget, stygij quas dira minantur  
 Ausa ducis sancto nocte dieq; gregi.  
 Et licet interdum se lumine fingat acerbo,  
 Dum uenit ætherea tristis ab arce fragor:  
 Mox iterum patrio se præbet amore uidendum,  
 Discutiens uultus nubila tetra sui.  
 Est facilis, mitisq; suis, ueniæq; paratus,  
 Et sine fulmineo, cùm tonat, igne tonat.  
 Sufficit & sterili natos sua gaudia lecto,  
 Nomen ut à sera posteritate ferat.  
 Ast qui coniugio uitam consumit inertì,  
 Coniugis hunc uanum nomen habere puto.  
 Tu quoq; sponse petis dum connubialia lecti  
 Vincula, quod ratio postulat æqua facis.  
 Dñj tibi placato faciles se numine præstent,  
 Optio non poterit plenior esse mea.  
 Sint procul hinc curæ durũ genus, omen abesto:  
 Quod uenit arbitrio numinis omne cadat,  
 Viue Sibyllinos cum coniuge sospes in annos:  
 Sit requies thalamo, sint sine lite dies.  
 Si qua tamen mentem communi forte fatiget,  
 Cura molesta domi, cura molesta foris:  
 Disce pati, uincesq; malos patiente dolores  
 Pectore, sollicitis & pete rebus opem.  
 Est præstanda fides, (res non onerosa uolenti)  
 Oblitus poterit non Deus esse tui,

Post



Pòst ubi finieris, uerbis hæc ultima iunge  
Verba, loqui prohibet te nisi plura pudor:  
Que tibi sponse fero placida cape munera fronte,  
Per malè præuifas Musa profecta uias.  
Non sunt magna quidem, sed non exilia spernas:  
Sæpe solent magnis parua placere uiris.  
Non magis è plena diues quæ libat acerra  
Thura placēt, magno quã data parua Deo.  
Hæc quia testentur longum Salomonis amorē,  
Huius ab admonitu dona probare uelis.  
Inde domum redeas dicta acceptaq; salute,  
Materiæ finis conuenit iste tuæ.

## ORATIO TOBIÆ.

PATrum sancte Deus pater meorum  
Cuius non dubia creata uoce  
Nomen cuncta sonant, nitentis aulæ,  
Te celsum laquear Deum fatetur,  
Et quicquid capit orbis hoc theatrum.  
Cum primum ad faciem tuam creasses  
Humanum genus ex inerte gleba,  
Menti congrua mox tuæ dedisti  
Casti iura tori, iugo sub uno  
Iunxistiq; duos, laboris EVAM  
Et uitæ sociam dicans ADAMO.  
Hæc est grata tibi palæstra: si quis  
Incestas Veneris faces perofus

B 3

Subdit

Subdit pectora uinculo iugali,  
Cum sis castus enim, iuuas & audis  
Casta uota Deus profecta mente.

Ergo cum thalamum scias inire  
Me non illicitis furentibus ue  
Succensum stimulis, uelut propago  
Expers quæ rationis est ferarum,  
Sed spe posteritatis, ut senili  
Cum Sara uideam senex nepotum  
Prolixam seriem domi, sub astra  
Qui nomen referant, tuiq; uastum  
Latè noticiam canant per orbem:  
Heus nunc acceleres, tuoq; nostri  
Tædas auspicio tori secunda.  
Sim felix ego cum mea marita,  
Sit felix mea Sara cum Tobia.

## ORATIO SARÆ.

O Aeterne Deus creator orbis,  
Per quos sustinui, precor, labores,  
Per dispendia coniugum priorum,  
Quorum tu poteris leuamen esse,  
Exaudi famulæ preces rogantis.

Nostris emine nuptiis fauenti  
Tandem mitis ades, meumq; serues  
Quem uitæ comitem mihi dedisti:  
Serues incolumem meum TOBIAM.

Nos

Nos spes una parentibus, futuræ  
Quos permagna tenet cupido prolis:  
Nos fulcrum tremulę sumus senectæ,  
Et solatiolum leuans dolores.


Est nobis parilis ferè iuuentæ,  
Annorum series, rogamus ergo  
Nostros æqua premat senectæ canos.  
Sit mens una, caro duobus una,  
Sit par coniugij fides, uoluntas,  
Alternæq; uices eant amoris  
Summos interitus adusq; lucis.


F I N I S.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.







Ma 4140


ULB Halle

3

004 974 662




TA 70L



Handwritten text, possibly a title or author's name, in a dark ink. The characters are difficult to decipher due to fading and the texture of the paper.







B.I.G.

Farbkarte #13

*EPITHALAMIA*  
 IN HONOR  
*PTIARVM VIRI*  
 VIRTUTE PRÆSTANTIS  
 Zanachij Vitebergensis, &  
 uirginis pudicissimae

AVTOR  
 SALOMONE A  
 Noribergensi



...rigata iniquens tacem uelau...

delub  
 oplite  
 anc spe  
 simpl  
 Pestep  
 dor ill  
 ginis  
 in mor  
 nte ca  
 spicien  
 s, & q  
 e nota  
 nstan  
 grege  
 iung  
 homita  
 re uid  
 ait obo  
 r: si cr  
 clet ob  
 faelis st  
 sommi